

De Resolutione Contractus Emptionis ex adilitio Edicto, ubi de actione Redhibitoria, & Quanto minoris.

## SUMMARIUM.

**R**es empta esse sine vitio prestanda. 267.  
 Referitur Edictum adilitium. eod.  
 Redhibitoria actio que. 268.  
 Estimatoria que. eod.  
 Redhibitoria quando habeat locum. eod.  
 Quomodo distinguatur morbus à vitio. 269.  
 Quanto tempore hæc actiones durent. 270.  
 An ad eosdem effectus dentur actiones Civiles. 271.  
 An illa actio Civilis, que datur, sit perpetua, & quomodo leges concilianda. eod.  
 An vitia animi dem locum Edicto adilitio, vel sola vitia corporis. 272.  
 Cum sit in arbitrio Emptoris, an actione redhibitoria, vel quanto minoris experiri velit, an unâ elegerit, si succumbat, aliam eligere possit. 273.  
 Si res ab Emptore fuit redhibita Venditori, sed Venditor est in mora in redditione pretii, quâ actione condempni possit. 274.

267. **E**st apud Iuris Interpretes Regula, quod res vendita sit sine vitio prestanda: in quem finem duæ sunt actiones prodite: (quibus alii addunt actionem in factum) Redhibitoria: Quanto minoris. Pro quarum intelligentia Sciendum est, existare lib. 21. ff. titulum 1. de adilitio edicto, & Redhibitione, & Quanto minoris. ibique referri Edictum adilitium, quod licet solum conceptum sit de Jumentis, & Servis, extensum tamen postmodum est ad alia, unde Labbeo scribit, Edictum adilitium Curulium de Venditionibus verum esse, tam earum que soli sunt, quam earum que mobiles aut se moventes. Iplum autem edictum sic habet. [Qui mancipia vendunt, certiores faciant Emptores, quid morti, vitii vitæ que sit, quis fugitivus, errove sit, noxave solutus non sit. Eademque omnia, cum ea mancipia veniunt, palam & rectè pronuntiant, Quod si mancipium adversus ea venisset, five adversus quod dictum promissumve fuerit, cum veniret, fuisset: quod ejus præstari oportere diceretur, Emptori, omnibusque ad quos ea res pertinet, judicium dabimus, ut id Mancipium redhibeat.]  
 268. Ex hoc Edicto duæ actiones oriuntur: Redhibitoria, & Estimatoria, seu Quanto minoris. Redhibitoria actio dicitur, quâ agitur ad redhibendam seu iterum habendam, hoc est recipiendam rem venditam, & ad restituendum pretium.

Estimatoria actio est, quâ Emptor agit ad hoc, ut, quanto pluris emisisset, in id Venditor sibi damnetur. Clarius, ut venditor refundat, quanto minoris emisisset, si de vitio constitisset.

Redhibitoria itaque tunc locum habebit, quando vitium est ejusmodi, ut si ab Emptore fuisset cognitum, res non fuisset empta, ne quidem minore pretio, quia fortasse nihil ad finem Emptoris servire potuisset. Estimatoria verò tunc locum habebit, quando cognitio vitii fuisset quidem res empta, sed minore pretio.

Hæc actionibus convenitur venditor, etiam si ignoravit vitium, ita tamen, ut ad interesse non teneatur, nisi hæc culpa intervenisset. Quod autem teneatur reddere pretium, & rem venditam recipere, colligitur ex l. 1. ff. h. t. ubi dicitur. Neque enim interest Emptoris, cur salvetur, ignorantia Venditoris, an calliditate. Quod autem non teneatur ad interesse, colligitur per argumentum à contrario sensu, ex l. 1. C. de adilit. act. [Si non simpliciter, sed consilio fraudis servum tibi nescienti fugitivum, vel alio modo vitiosum quis vendidit, isque idem fugitivus abest, non solum in pretium servi Venditorem conveniit, sed etiam NB. damnium quod per eum tibi accidit, Juxta præstare jubebit.] Occasione hujus Edicti

269. **Q**UÆRITUR 1. Quando quidem in Edicto sit mentio disjunctiva Morbi vitii, & quomodo distinguatur morbus à vitio, & an præsens institutum interesse esse morbum, aut vitium. Gellius lib. 3. c. 2. scribit discrimen in eo consistere, quod Vitii nomen sit generale, Morbi verò specificum, nempe esse imbecillitatem corporis, vel partis illius, quæ penitus reusum adimat, ut est cæcitas. Vitium verò prout est species distincta à Morbo, est, si minus partis corruptio non proveniat ex imbecillitate ejus partis, neque ejus partis usum penitus auferat, ut si quis blæsus aut balbus sit, si equus sit calcitrosus aut inordax. Alii volunt in eo differre, quod vitium sit perpetuum, morbus autem accessus, aut recessu varietur. Ita habetur l. 101. §. 2. ff. de V. S. [Verum est, morbum esse temporalem corporis imbecillitatem, vitium verò perpetuum corporis impedimentum, veluti si talum excussit: nam & luscus utique vitiosus est.] Cæterum, quæcunque sit differentia (de quo Medici videntur) ad præsens institutum nihil interest, ut patet ex textu. Exempla hujusmodi defectuum recenset Arnoldus Rath th. 125. v. g. si quis emerit carnes morbo animalis, aut pisces factidos, herbas pessimas, panem, aut vinum corruptum, vel etiam libros mendosos, multum falsos, aut aliis imperfectos.

270. **Q**UÆRITUR 2. Quanto tempore hæc actiones durent. Actionem redhibitoriam durare per sex menses, iure communi. Quanto minoris per annum. l. 2. C. de adilit. actionib. ibi. Etenim Redhibitoriam actionem sex

mensium temporibus, vel quanto minoris anno concludi manifesti Iuris est. Ratio discriminis assignati solet, quod posterior sit minus odiosa, utpote non tendens ad rescissionem omnimodam Contractus, sed solum quoad excessum pretii, & ideo longius durat.

271. **Q**UÆRITUR 3. An ad eosdem effectus dentur actiones civiles, saltè de Jure communi. Respondent Interpp. communiter affirmativè, prout jam paulò antè suppositi, & probavi ex lege 11. §. 3. ff. de act. empti. ubi dicitur, redhibitionem actionem ex empto peti: quod idem de act. quanto minoris habetur l. 13. pr. eod. [Julianus l. 15. inter eum qui sciens quid aut ignorans vendidit, differentiam facit in condemnatione ex empto: ait enim, qui pecus morbosum, aut tignum vitiosum vendidit, siquidem ignorans fecit, id tantum NB. ex empto actione præstaturum, quanto minoris esse empturum. Si ita esse civilissem, si verò sciens, &c.] Atqui actio ex empto est actio civilis, & perpetua. Ergo, &c.

Dicit aliquis: si ad eosdem effectus, & ex eadem causa datur actio civilis, quid opus erat adiles curules edicere, & dare actionem redhibitoriam? Respondet post alios Ant. Perez in Cod. h. t. n. 8. non esse novum, Pretorem edicere de re, ad quam etiam datur actio Iure civili, ut de commodato, de deposito. l. 1. ff. commod. & l. 1. ff. de pos. quia Prator non semper emendat Ius civile, sed & aliquando adjuvat & confirmat. l. 7. §. 1. ff. de Inst. §. 1. ibi. Adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi gratia.

Replicabis. Si datur actio civilis ad hos effectus, hæc actio erit perpetua: hoc autem aperte repugnat legi 2. C. h. t. ut paulò antè retuli: ubi Imperator Gordianus pro certo supponit, ad tales effectus non dari nisi actionem temporalem. [Cum proponas, inquit, servum, quem pridem comparasti, post anni tempus fugisse, quâ ratione eo nomine cum Venditore ejusdem congredi querat, non possim animadvertere. Etenim redhibitoriam actionem sex mensium temporibus, vel quanto minoris anno concludi, manifesti Iuris est.] Difficile profectò est hæc conciliare. Ant. Perez, & Henr. Zælius pro certo supponunt, actionem civilem, de qua sit mentio in adductis legibus, esse perpetuam: addunt tamen differre ad ædilitia actione, quod illa solum datur in simplicium, ædilitia verò in duplum, si Venditor sit contumax in solvendo pretium & accessione, ut habetur lege 45. ff. h. t. Per hoc tamen non enervatur difficultas: non enim debuit Imperator ita categoricè rescribere, se non animadvertere, quomodo possit venditor conveniri post annum, quandoquidem posset conveniri in simplicium. Itaque tolerabilior (quamvis non absque scrupulo) est responsio Arn. Rath. Negando, quod illa actio civilis ex empto ad effectum

Christ. Haun. de Just. Tom. IV.

factum redhibitionis, aut quanto minoris sit perpetua: amplectitur quidem latitudine & ambitu suo actiones ædilitias, sed cum suis qualitatibus, quales edicto proposito fuerunt, adeoque eadem conditione, isdem legibus, & causâ, agi potest actione ex empto, quæ edicto ædilitio constituta sunt, ut ultra annum agi nequeat. Pro quo advertendum, hoc tempus non in sola lege 2. C. h. t. sed in Digestis quoque positum fuisse in l. 19. §. fin. ff. h. t. Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet: si autem mancipium non redhibeat, sed quanto minoris agitur, annus utilis est. & l. 18. idem ponitur in ipso edicto. Hæc de Iure communi. Quid Ius Bavaricum speciale statuat circa equos, videatur tit. 6. art. 4.

272. **Q**UÆRITUR 4. An vitia animi dem locum edicto adilitio, vel sola vitia corporis. Richardus & Caballinus putant, ob vitia animi in jumentis esse locum edicto, non item ob vitia animi in Mancipiis. Universum negandum est, ob vitia animi dari actionem ex adilitio edicto. ob legem 4. §. 3. & 4. ff. h. t. [Idem Pomponius ait, quamvis non validè (puro legendum valde) sapientem servum venditor præstare debeat, tamen si ita fatuum vel morionem vendiderit, ut in eo usus nullus sit, videri vitium, & videtur hoc late iri, ut vitii morboque appellatio non videatur pertinere nisi ad corpora, animi autem vitium ita demum præstabit Venditor, si promissit, si minus, non: & ideo nominatim de errore & fugitivo excipitur, hoc enim animi vitium est, non corporis, unde quidam jumenta pavida & calcitrosa morbofis non esse adnumeranda dixerunt, animi enim, non corporis hoc vitium esse.] §. 4. [In summa, si quidem animi tantum vitium est, redhiberi non potest, nisi si dictum est, hoc abesse, & non abest: ex empto tamen agi potest, si sciens id vitium animi retulit: si autem corporis solum vitium est, aut & corporis & animi mixtum vitium, redhibito locum habebit.]

273. **Q**UÆRITUR 5. Cum sit in arbitrio emptoris, utrum experiri velit actione redhibitoria, an quanto minoris, utrum si unam elegerit, & succuberit, possit alteram eligere. Ex communi Interpret. negativè, per textum legis 25. §. ff. de except. rei judic. ibi. Quare verè dicitur, eum qui alterutram earum egerit, si altera postea agat, rei judicata exceptione submoveri. Si tamen ideo illi denegerit actio redhibitoria, quia sex menses effluerunt, non impeditur institutio actionem, quanto minoris, ut habetur l. 48. §. 2. ff. h. t. Non nocet ibi Emptori, si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, veli intra annum estimatoria agere.

274. **Q**UÆRITUR 6. Si res ab Emptore fuit redhibita Venditori, sed Venditor est in mora quoad redditionem pretii, quâ actione Emptor convenire possit Venditorem. Dari actionem in factum. l. 31. §. 17. ff. h. t. In factum actio

actio competit ad pretium recuperandum; si mancipium reddibitum fuerit. Sed an hæc actio sit perpetua dubitatum fuit. Negat Treutlerus, sed rectius cum Durando affirmat Huanius *th. 4. q. 15.* quia non est actio pœnalis, sed rei persecutoria: huiusmodi autem actiones quantumvis prætorias esse perpetuas colligitur ex tit. *Inst. de perpet. & temporali. act.* Neque in hac actione militat illa ratio ob quam ædilitiæ actiones dux sint temporales, nempe quia sunt rescissoria, & tendunt ad actum iure civili validum rescindendum, non item actio in factum, quæ supponit jam actum rescissum. Vnde in cit. §. *eleganter additur. In qua (actione) non hoc queritur, an mancipium in causa redditionis fuerit, sed hoc tantum, an sit reddibitum.*

## CONTROVERSIA XXVI

*Quanam Monopolia sint licita, vel illicita.*

### SUMMARIUM.

**M**onopolia unde dicantur, & quomodo institui possint. 275.

Referuntur Constitutio Zenonis. C. de Monopoliis. eod. An Monopolia possint licite conspirare, ut nemo eorum vendat nisi pretio summo. 276.

An illicitum sit emere tempore opportuno merces alicujus certe speciei, in maxima quantitate, pretio vili, tunc currente, ut postea cogantur alii emere pretio maiore. 278.

An obliget pactum artificum, ut nulli liceat absolvere opus ab alio inchoatum. 279.

275. **M**onopolium, vox græca, significat Unius in Civitate, vel Provincia venditionem. unde qui talem venditionem solus exercet *Monopola* dicitur. Possunt autem plures per modum unius instituire Monopolium, ut illi soli certam mercem vendant, quodlibet propriâ & privatâ auctoritate liceret, Reipublica perniciosum esset, unde Constitutio Zenonis emanavit, quæ sic habet in C. de Monopoliis.

[Jubemus, ne quis cujuscumque vestis, vel piscis, vel pectinum forte, aut echini, vel cuiuslibet alterius ad victum, vel ad quemcumque usum pertinentis speciei, vel cuiuslibet materie pro sua auctoritate, vel sacro jam elicto, aut imperio eliciendo Rescripto, aut pragmaticâ sanctione, vel sacrâ nostrâ pietatis adnotatione Monopolium audeat exercere, neve quis illicitis habitis conventionibus conjuret, aut pacifatur, ut species diversorum corporum negotiationis non minoris, quam inter se statuerint, venundentur.]

Quâ tamen Constitutione nihil amplius obstante, defacto Principum auctoritate, bono

publico id exigente, instituta videmus Monopolia, quando aliquoquin merx aliqua deficeret in provincia, nisi Monopolium concederetur quibusdam, qui se obligant ad providendum, iusto tamen pretio, & à Magistratibus approbando. Quo etiam refertur Privilegium quod solet Typographis, seu illis qui suis sumptibus curant imprimi libros, concedi, ut sub certa pœna nemini liceat v.g. intrâ Imperium, & intra certos annos ejusmodi librum recudere, alioquin paucis forent, qui vellent cum periculo maximæ jacturæ sumptus subministrare.

276. **Q**UÆRITUR 1. An Monopolia possint licite conspirare, ut nemo eorum vendat nisi pretio summo. Negat Navarrus, uterque Medina, Armilla, Sylvester, Valentia, Rebellus & alii, quos refert & sequitur Palao p. 34. n. 4. Affirmat Petrus Navar. Molina, Lessius, Bannez, Aragon, nec improbant Salas & Lugo, quibus assentior, tum quia adversarii nullo solido fundamento nituntur, tum ob hanc positivam rationem. Quod unusquisque per se, nullo alio suadente aut in pactum deducendo potest licite facere, hoc potest alius absque injuria in suum commodum, esto cum alterius incommodo, illi suadere, imò in pactum deducere. Atqui quisvis Mercator potest licite res suas vendere pretio summo: ergo possunt alii reciproca obligatione id in suum commodum in pactum deducere. Major propositio declaratur in exemplis. Quia mihi licitum est vendere vel Petro, vel Paulo meum equum, non peccat Petrus, si mihi persuadeat, ut potius ipsi quam Paulo vendam. hoc certe faciunt & pacifcuntur Caupones cum Piscatoribus & Venatoribus. Aliud exemplum est in Causidicis celebrioribus, qui à quibusdam Prælati seu Potentibus certa accipiunt salaria, ut nemini contra se serviant.

Objiciunt adversarii. Respublica videtur habere jus, ne hoc faciant Mercatores in privato incommodum, qui sperant viliori pretio se empturos à quibusdam. R. Hoc esse petere principium, & eludi contratio, non videtur.

277. **U**rget Castro Palao. Quia talis conspiratio est contra legem Zenonis: Ergo est iniqua. atqui respublica habet jus, ne iniquis mediis adigantur ad pretium summum: ergo, &c. R. Hoc esse extra casum. Loquimur enim de disputamus de casu, quo qui Monopolium exercent, id licite, & publicâ auctoritate muniri exercent. Quando autem illis datur facultas, & nullum certum pretium præscribitur, relinquunt illis liberum, taxare pretium. Et sanè hoc sæpè est necessarium, alioquin difficulter exercerent Monopolium, quia lucrum esset exiguum, eò quòd possent vilis vendendo eò deduci, ut omnes vili pretio vendere cogentur, & sic à Monopolio (quod ceteroquin suppo-

supponitur esse utile Reipublicæ) absterrentur.

Advertendum tamen est, per pretium summum intelligi illud, quod erat secluso omni Monopolio, non autem illud, quod inducitur Monopolio postea cæteri jam esse majus.

278. **Q**UÆRITUR 2. An illicitum sit emere tempore opportuno merces alicujus certe speciei in maxima quantitate, pretio vili tunc currente, ut postea cogantur alii emere pretio maiore, ob defectum meris ab aliis comparabilis. Dissentiant iterum AA. sicut in priori. Et consequenter dicendum videtur, tali ratione non peccari contra iustitiam (an contra Charitatem, non pertinet ad hunc locum examinare) ut patet exemplo Iosephi in Ægypto practicato. Et ratio est, quia talis utitur jure omnibus communi in comendo, & vendendo, dummodo servet illam taxam pretii, quæ erat intra terminos pretii iusti, esto summi, quod erat, cum ille emeret pretio vili, & non excedat ideo, quasi jam ipse comendo induxisset raritatem meris, & sic variatum esset pretium.

279. **Q**UÆRITUR 3. An licitum & obligatorium sit pactum, quo artifices inter se pacifcuntur, ut nulli liceat absolvere aut perficere opus aut artificum ab alio inchoatum; quod solet fieri in eum finem, ut is qui tali opere indiget, cogatur solvere quod exigitur ab inchoante. R. Hoc esse prohibendum in dicta lege, ab Imp. Zenone. [Edificiorum quoque artificum, aliorumque diversorum operum professores & balneatores, penitus arceantur pacta inter se componere, ut ne quis quòd alterum commissum est opus, impleat, aut inunctam alteri sollicitudinem alter interceptat: datâ licentiâ unicuique ab altero inchoatum & derelictum opus per alterum sine aliquo timore dispendii impleat, &c.] Ceterum, quando aliquis artifex non ex pacto, sed ex alio respectu non vult perficere opus ab alio inchoatum, non facit contra hanc legem.

## CONTROVERSIA XXVII.

*Negotiari quousque Clericis & Religiosis sit interdictum.*

### SUMMARIUM.

**R**efertur Canon, quibus negotiatio Clericis prohibetur. 280.

An peccent mortaliter Clerici negotiando. 281.

An comprehendantur Clerici in sacris necdum constitutis, sed habentes competent beneficium. 282.

An sit Negotiatio prohibita, emere pecora saginanda in suis prædiis. 283.

Decretum Congregationis. 7. c. 84. Societ. IESU. 284.

Christ. Haun. de Just. Tom. 17.

An licitum sit Clericis per alium negotiari. 285.

An liceat Clericis negotiari urgente necessitate. eod.

280. **P**RO coronide hujus Capitis & contractus emptio, brevitè aliquid addere placuit de negotiatione, quæ dicitur exerceri à mercatoribus, rem emptam, & in se nihil immutatum, rem sed carius vendentibus; prout definitur negotiatio Clericis prohibita can. 11. dist. 88. prope medium. [Quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram & immutatam vendat, sed ut materia sibi fit inde aliquid operandi, ille non est negotiator. Qui autem NB. comparat rem, ut ipsam integram & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur.] Id est, qui non est dignus Clericatu, & qui servat aliam.

Itaque in canone 2. ead. dist. Gelasius Papa sic scribit: [plurimos Clericorum negotiationibus inhonestis & lucris turpibus immerere, nullo pudore cernentes evangelicam lectionem, quâ ipse dominus negotiatoribus & templo verberatos flagellis asserit expulisse, nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: ] Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, &c. [Proinde hujusmodi aut indigni post hac quælibet noverint abiliendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum, aut in quocunque gradu sint positi, mox à Clericali officio abstinere cogantur: quoniam domus Dei domus orationis & esse debet & diu, ne per officia negotiationis potius sit latronum spelunca.]

Deinde in cap. Secundum. ne Clerici vel Monachi. ait Pontifex: Sub interminatione Anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotentur.

Imponuntur deinde hujusmodi negotiationibus pœnæ excommunicationis, suspensionis, depositionis ferendæ sententiæ, & alia pœnæ: quas innovat Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* non quidem in specie, sed in genere, quatenus impossibile tunc non observant debitam Clericorum honestatem.

281. **Q**UÆRITUR 1. An hujusmodi negotiatio ab his personis exercita, sit peccatum mortale; secluso scandalo, & antecedenter ad prohibitionem. Negat Cajetanus v. Clericis in sua summa, & consentit Rodrig. to. 2. c. 1. n. 2. dummodo negotiatio non sit turpis. Affirmat semper esse mortale, si vel semel fiat, Azor id. 2. lib. 8. c. 2. q. 5. & Palao *iv. 16. de Relig. disp. 4. p. 13. §. 3. n. 6.* Sed mediâ viâ cum plerisque incedendum est, unum alterumque actum, nisi exerceatur in maxima quantitate, non esse materiam gravem: quia (inquit Lugo) jura videntur loqui ferè semper de Clerico exercente negotiationem, & illi insistentem, & inde victum querentem, &c. Ita Lessius dub. 2. n. 4. Salas dicit, non fore mortale, si semel aut iterum lib-

libros, cruces vel reliquiaria (addo lapillos Foyenses) occultè emat, ut carius vendat, quia hæc non videtur gravis indecentia. quod idem docet Turrianus & Fillicius, nec improbat Lugo.

281. QUÆRITUR 2. An negotiorum prohibitio comprehendat etiam Clericos necdum quidem Sacris initiatos, sed tamen habentibus Beneficium sufficiens ad sustentationem. Negant aliqui. Sed communis sententia affirmat, & merito. Nam de his procedit tota ratio Conciliorum & Pontificum, quia tenentur ad obsequia Ecclesiæ præstanda, ad horas Canonicas recitandas, &c. Quos proinde dedecet specialiter inhiare lucro per merces comparatas, eas carius vendendo.

282. QUÆRITUR 3. An sit negotiorum prohibitio, emere pecora, quæ deinde in suis partibus alant, educant, & saginata vendant. Negativè, tum quia res empta mutatur, tum quia hoc in effectu aliud non est, quam vendere sua pascua, & suorum agrorum fructus. Multò magis possunt habere greges ovium, &c. ut lac, lanam, fatus vendant. Conducere tamen alienos agros, ut fructus vendant, etsi non sit negotiorum, est tamen ipsidem prohibitum ex iisdem causis in Concilio Carthaginensi I. & IV. ut refertur in c. 21. q. 3. c. 1. idemque esset, si greges alienos conducere in hunc finem, ut lanam, lac, casum venderent, & quidem turpis lucri gratiâ: sed si verba cap. 1. (quod Palea inscribitur) ponderentur, multæ circumstantiæ intervenire debent. Placet referre textum, ut appareat, quo Zelo tunc temporis Ecclesiæ Clerum cœderent. [Pervenit in sanctam Synodum, quia de eis qui in Clero connumerantur quidam propter turpis lucri gratiam alienarum possessionum conductiones, & seculares causas suscipiunt: & seipfos quidem à ministeriis Sanctis per desidia separant, ad domus autem secularium concurrunt, & substantiarum eorum gubernationes avaritiæ causâ suscipiunt. Decrevit igitur S. Synodus, neminem deinceps eorum, hoc est, non Episcopum, sive Clericum, aut Monachum conducere possessiones, aut miseris secularibus procuratoribus: nisi forte qui legibus ad minorum aratum tutelam sive procuratoribus inexcusabiles attestantur: aut cui ipsius civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula: vel Orphanorum aut viduarum, quæ indefensæ sunt, aut earum personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adminiculo propter timorem Dei. Si quis verò transgressus fuerit hæc statuta, correctioni Ecclesiasticæ subiacet.]

284. Referre quoque hic placet, quod in Societatis nostræ Congreg. 7. c. 84. habetur. [Cum postulatum esset, quanam essent illa, quæ Negotiorum speciem habent, à quibus nostri juxta can. 25. Congregationis. 2. abstinere jubentur: Censuit Congregatio, varia illa esse,

neque omnia recenseri posse. Inter alia tamen numerari hæc posse. 1. Conducere agros alienos, ut ex illis lucrum & quantum facias. Non tamen habere speciem negotiorum, eos conducere ad prædiorum nostrorum administrationem, vel animalium nostrorum sustentationem. 2. Emere aliqua, ut nostrâ postea iudiciâ carius vendantur. Emere tamen animalia ad prædiorum nostrorum pasca consumenda, quæ postea divendantur, non censuit negotiorum speciem habere: sicut nec emere quæ putantur usibus nostrorum necessaria, quæ superflua postea vendantur. 3. Typographiæ sumptus pro edendis nostrorum libris suppeditare, exemplaque damno lucroque nostro dividendâ accipere. Quæ res licet absolute negotiorum Clericis interdicta non sit, nostris tamen videtur omnino interdicenda, nec nisi gravissimas ob causas à P. N. permitienda. 4. Typographiam in Collegiis habere, in qua libri excusi externis divendantur. In utraque tamen India, partibusque Septentrionalibus pro libris piis, & ad Religionem spectantibus, Scholarumque nostrarum, cum vel Typographi desunt, vel Catholici desunt, iudicio P. Nostri rem totam committendam censuit.]

285. QUÆRITUR 4. An saltem licitum sit Clericis per alium negotiari, dando illi pecunias, quas una cum suis adhibeat ad lucrum negotiatione querendum. & cum communi Theologorum, hoc non fore contra leges Ecclesiasticas, si negotiorum cura & labor ita alteri committatur, ut Clericus nihil impediat à suo ministerio, & scandalum absit. cessante enim sine legis cessat obligatio Legis. Cæterum, moment ipsam Theologi, non debere hoc fieri nisi urgente gravi & iustâ causâ.

Unde à fortiori infertur, licere Clericis & Religiosis negotiationem urgente necessitate: qualem putat Molina esse illorum Religiosorum, qui in Brasilia regione attendunt ad conversionem Gentilium, & qui rebus variis indigent ex Hispania adportandis, nec tamen habent ibi pecunias, nec pecunias mittere possunt idoneas, unde necesse est, mittere merces, quæ in Hispania vendantur, & ex pecunia res necessarias emanant. Colligitur hoc ipsum ex cap. 8. de Decimis, ubi Monachi conductos habebant agros, nec tamen habere prohibentur, sed decimas solveere jubentur. Imò in Concilio Elbertino cap. 19. permittitur Clericis in necessitate negotiari per se intra Provinciam, per alios extra. Ratio est, quia lex humana non debet in tali casu obligare, quando res ex natura sua non est inhonesta. Unde non solum ad propriam necessitatem, sed etiam pupilli viduæ, alteriusque personæ miserabilis, ut aliis relatis tradit Palao l. c. & Molina d. 342.

CAPUT

## CAPUT II.

## DE CONTRACTU CENSUALI, SEU REDITIVUM ANNUORUM.

Contractus Censualis est certa species Emptionis, & ideo post Emptionem in genere explicatam tractandum. Hæc species non erat in usu, cum Jus Civile conderetur, sed postmodum inventa, & quia in ea verfarî poterat periculum Usuræ, hinc factum est, ut ab Ecclesiastico Iure Regulas acciperet, secundum quas est examinanda. Porro, ex isto Contractu seu mutua duorum conventionem, nascitur in uno IUS, quod vocatur Censur, & in altero obligatio aliquid solvendi singulis annis, quod etiam solet vocari Censur. sed ad cavendam æquivocationem, Jus exigendi vocatur Censur Activus, & res solvenda vocatur Censur Passivus, vel annui reditus. sicut in 2. tract. distinguimus Jus Activum à Iure Passivo.

## CONTROVERSIA I.

Quid sit Censur, prout hoc loco disputatur, & quotuplex.

## SUMMARIUM.

Varia acceptiones Censur. 286.  
 Definitio Censur hoc loco disputandi. 287.  
 Differentia inter Censur & Emphyteusim. 288.  
 An valeat Pactum Commissorium Censur adjectum. 289.  
 Aliud discrimen inter Censur & Emphyteusim. 290.  
 Divisio Censur in Reservativum & Consignativum. 291.  
 Censur Reservativum cur possit pactum commissorium apponi. eod.  
 Subdivisio Censur consignativi in Realem & Personalem. 292.  
 An pereante censur, pereat census realis. 293.  
 Si res censurata transeat ad tertium Possessorem, an committat Censualis actio. eod.  
 Si Censur constitutus sit in tribus prædiis ad diversos pertinentes, an possint singuli conveniri pro integro Censur. eod.  
 Subdivisio Censur consignativi in Frustrarium, & Pecuniarium. 294.

Subdivisio in Censur certum, & incertum. eod.  
 Subdivisio in Temporalem & Perpetuam. eod.  
 Si in Contractu nihil est expressum, an sit Redimibilis, qualis sit præsumendus. 295.  
 An Censur debeat numerari inter bona immobilia. 296.

286. VARIÆ sunt acceptiones Censur: aliquando enim Censur est estimatio patrimonii, in hunc finem facta, ut inde annuum tributum solvatur, de quo censur exstat titulus 15. libri 10. Digestorum, & eius discussio pertinet ad Jus Publicum. Aliquando sumitur pro Tributo solvendo in recognitionem Subjectionis, Iurisdictionisve alterius. Omitto alias acceptiones, quæ minus sunt in usu.

287. Censur hoc loco est Jus percipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius. Qui tale Jus habet, vocatur Censualista, qui vero pensionem debet, vocatur Censualarius, qui in hoc Contractu est Venditor, quia vendit Censualistæ Ius exigendi annuam pensionem. Communiter vocari solet alter Creditor, alter Debitor, & est modus loquendi expeditus.

Porro, si pensio debetur ex aliqua re, v. g. ex fundo, dominium tam directum, quam utile est penes Censualistam, & non penes Censualistam. & in hoc differat ab Emphyteusi, ubi Dominium directum manet penes illum cui pensio debetur. Hæc ergo differentia exprimitur per particulam: Alterius.

288. Alia adhuc notabilis differentia est inter Censur & Emphyteusim, quæ tamen in definitione non exprimitur. Nempe, quòd quando Emphyteata biennio (si sit Ecclesiæ) vel triennio (si sit secularis) non solvit Canonem, incidat in commissum, amittatque utile dominium, quod ad Proprietarium revertitur: non item si Censualarius non solvat: manet enim Dominus, ut antè, & solum tenetur solveere pensiones exstantes. arg. cap. 6. de Religios. domib. in fin. ibi. [Cum autem nec insolutum sit, nec novum ut cum Episcopi Ecclesiæ concesserint pijs locis, aliquid sibi reservent in eis nomine pensionis, &c. Oeconomum Monasterii vestri Oeconomus